

originale, cujus infamiâ, per Mariam Filiam, liberatam fuisse docet pius Abbas, uti alias enucleatius perpendemus.

401 Bernardo similis est Bernardinus Senensis, qui Tom. 1. Ser. 61. cum Christi, & Mariæ nobilitatem ex utraque Genealogia Evangelica multis commendasset articulo 1. c. 1. concludit: Ut ex hoc manifestè clarescat, quòd omnis nobilitas corporis, concessa humano generi in Adam, à Domino principaliter data est, ut descenderet per multas generationes, & per Virginem Matrem terminaretur in Christum. Similia habet c. 2. Cui consonat coævus illi S. Vincentius Ferrarius in Ser. de Conceptio. V. Mariæ. Vide S. Brigittam lib. 5. Quæstionum, & in Ser. Angelico, Amadeum Monachum in nova Apocalypsi, Raptu 8. Athanasium in lib. de Incarnatione, & in Orat. in illud: Omnia mihi tradita sunt.

402 Hæc supervacanea alicui fortasse videantur, in re maximè perspicua. Quid enim astinebat, meridianem solem tenui promovere lucernam voluisse? Video. Sed quando humana demum acies eousque cæcutivit, ut Mariam neque foeminam, neque foemineâ, ac virili generatione conceptam, neque ex primis Parentibus Adamo & Eva communi congressione propagatam, commentiri pergat, haud putabam, id olei, atque operæ deperditum, quo necessarium dogma, universi hujus Tractatus fundamentum exiturum, tamen Catholicis compertum, firmissimis Concilii, Patrumque testimoniiis fulcirem.

SECTIO XII.

Beatam Mariam Virginem ex Abrahamo fuisse conceptam. Additum de Sara, Isaac, & Jacob nominibus: & quid subinde pro Deiparâ immunitate.

Ad Genes. 17. 4. Dixit Dominus ad Abraham: Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum Gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, &c.

403 Tertullianus in Libro de Carne Christi c. 22. summis illis Marianæ Genealogiæ statutis capitibus, Abrahamo, & Davide, universam eorum gloriam eò spectasse, ut Mariam Dei Matrem progenerarent, graviter scripsit. His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Christi Nativitatem, quid aliud quam caro ipsa Abraha, & David, per singulos traducem sui faciens, in Virginem usque describitur, inferens Christum? Sed de David infra dicendum; nunc de Abrahamo, quatenus ad Mariæ proneptis Conceptionem spectavit, paucis disserendum.

404 Nobilissimum virum clarissima Filia Parentem generis agnovit, Lucæ 1. 55. Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini ejus in secula. Cecinerat Virgo præter alia divinæ gratiæ beneficia, propriam etiam præservationem, cujus testem, præ cæteris Majoribus, unum compellat Patrem Abrahamum. Quem vel hoc nomine dictum ab Epiphano, initio Panari, honorum domesticorum Patrem, existimaverim: Domini enim Patrem honorum fuit: utpotè primarium tantæ posteritatis auctor, Christi, & Mariæ proavus illustrissimus, sine quibus nullus humano generi honor. Sed & Syriaca Ecclesiâ, jam inde ab he-

S. Bernardi.

Universa Abrahami & Davidis gloria ed spectavit ut Virginem conceperent. Textul.

LUC. 1. 55.

S. Epipha.

roicis exorientis Christianismi temporibus, illud Apostoli pro aris, & ambonibus cantare consuevit in Festis Deiparæ: Nisquam Angelos apprehendit, sed semen Abraha apprehendit. Ad Heb. 2. 14. ex Maria scilicet Abrahami filia, invidentibus licet, & reluctantibus Angelis perduellionibus.

405 Igitur, ut Abrahamum, Marianæ Conceptionis eximium ante alios auctorem ostendam, illud in ejus historia observatione dignissimum expendo; quod ubi Dominus, præscriptâ Circumcisionis lege, originalem culpam in Abraham, & ejus familiam profus abolendam edixit, statim illum Deiparæ avum constituit, hoc est, ex Abram, aucto nomine, Abraham nuncupavit. Dixitque ei Dominus: Ego sum: & pactum meum tecum (circumcisionis adversus peccatum originale) erisque Pater multarum Gentium. Ne ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham; quia patrem multarum Gentium constitui te. Genes. 17. v. 4. & 5. Magnum extitit incrementum proavo, quòd magnorum nepotum, Mariæ, & Jesu, progenitor constitueretur, ac prædiceretur: magno igitur auctario illius nomen meritò cumulat; ut qui Abram fuerat, jam inde, post tantam annunciatâ proneptim, Abrahamus nuncuparetur; & qui immunem Mariam esset procreaturus, circumcissionem contra originalem culpam percepisset.

406 Sed & in ipso nominis augmento ipsissimam Mariam intexam licet animadvertere. Si enim Abrahami Etymologias evolvas, atque compositum Vocabulum disquisitis interpretis; Abraham perinde est, atque Pater Excelsa, vel sublimis, aut eximia, sive selecta, aut separata Matris magnæ. Formatur namque hoc nomen ab Hebraicis tribus vocibus, אב ab id est, Pater; רם ram, id est, separata, selecta, eximia, sublimis; ex verbo נון rom, quod est aliquid ab aliis dirimere, fecerere, separare, atque selectum distinguere: vel à אב, rab, quod est magna, multa: denique tertio ab מם, ham id est, Mater, ut videre est Deutero. 22. 6. Elisis igitur, aut suppressis, per Euphoniâ, vel Apherefin, ut in aliis nominibus frequenter fit, ex secunda, & tertia voce litteris illis מ, vel, נ, & ר; extat nomen Abraham sanè propheticum, atque ab universa feminarum turba singulari distinctione separatam Magni Filii Magnam Matrem, atque ejusdem Abrahami felicissimi grandem Filiam significans.

407 Dicat aliquis, diversam Abrahami interpretationem recitatam fuisse à Moyse Genes. 17. 5. nempe Pater multarum Gentium. Respondeo primò; etsi diversam, non tamen adversam nostram esse expositionem. Licuit Philoni in libro de Abraham, Clementi lib. 5. Stroma. c. 2. & S. Hieronymo in c. 2. Epist. ad Galatas, Abraham interpretari, Patrem electæ vocis. Licuit Eusebio, & Bedæ in libris de Nominibus Hebraicis, idem nomen Abraham, vertere, Pater videns populum, vel multiitudinem. Licuit S. Ambrosio lib. 1. de Abraham c. 4. idem nomen reddere, Patrem electum, vel sublimem. Licuit verò; quia hujusmodi interpretationes, licet diversæ, Mosaicæ tamen illi minimè adversantur; cur igitur non liceat in ejusdem Abrahami gratiam, & Mariæ gloriam, prædicta nostra interpretatio? Respondeo secundò; hanc interpretationem varietatem, quæ in plerisque aliis nomi-

Tunc Abraham Dei-para avus constituitur, circumcissionis culpa in eo, & ejus familia abolenda edicitur.

Nominis Abrahami etymologia varia pro Deiparâ immunitate.

Alia etymologia.

nominibus frequens admodum occurrit, injuriam non esse Vulgatæ Versioni; imò illustrationem ejus, ac promotionem, quæ magnum afferre illi solet operæ pretium. Promovet, ac illustrat planè Mosaicam, & Vulgatam interpretationem interpretatio nostra. Propterea enim Abraham extitit Pater multarum Gentium, quia Pater extitit eximia, selecta, sublimisque Deiparæ Mariæ, Abrahamicæ filiae, Dei Magnæ Matris, à qua totam in ipsius proavos refluxisse generis claritudinem docet Damascenus in Sermonem de ejus Nativitate.

Littera nominis addita Abrahami ad Virginis immunitatis spectat.

Maria vitalis Abrahami filia, filia vita.

S. Dionys. Alexan.

Sara quoque nomen ad Virginem Deiparam spectans. Genes. 17. 15.

gina dicta, quod Sara, ejusce litteræ permutatione, præ se fert. Videlicet tantæ filiae Conceptione, non rem solam domesticam, sed orbem sibi universum amplificandam, & summis provehendum honoribus, prædicebatur. Certè Ambrosius, dum semel, atque iterum Mariam Saræ præfert, de Christi Incarnatione agens, illam hujus neptim aperte docet, haud sine illustri immunitatis ejus notatione; in Sermonem extremo ad Psal. 118. Suscipe me in carne, qua in Adam lapsa est. Suscipe, non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo ab omni integra labe peccati. Dum negat Ambrosius, velle se à Christo ex Sara suscipi, dum ex Maria optat, non negat hujus ex illa Conceptionem, sed dignitatem, & meritum neptis præfert. Hæc raptim de Sara, Mariæ avia, Abrahamæ conjugæ. Vide quæ rursus addit Ambrosius lib. de Institutione Virginis c. 5.

S. Ambros.

Mons Moria, in quo Abraham aem Christi vidit, ad cum fuisse Moriam, cum allusione ad Mariam Deiparam. Addo ego, utrumque nomen Moriam, & Mariam, derivari ab Hebraico מור Mor, id est, Myrrha, cujus præservatricis aromatis illum montem feracem fuisse, Hebraei produnt; scilicet Mariæ præservatione gravidum, ut alias explico. Itaque Abrahamus in eo monte, cum Christi die Mariæ quoque diem Conceptionis, & præservationis vidit, & gavisus est. Audi Angelum in Revelatione S. Brigittæ c. 8. Sermonis Angelici.

S. Brigitta.

411 Paulus Episcopus Burgenis in Additione 2. ad cap. Genesis 22. scribit celeberrimum illum montem, in quo Abraham diem Christi vidit, & gavisus est, Joan. 8. 16. appellavit, cum fuisse Moriam, cum allusione ad Mariam Deiparam. Addo ego, utrumque nomen Moriam, & Mariam, derivari ab Hebraico מור Mor, id est, Myrrha, cujus præservatricis aromatis illum montem feracem fuisse, Hebraei produnt; scilicet Mariæ præservatione gravidum, ut alias explico. Itaque Abrahamus in eo monte, cum Christi die Mariæ quoque diem Conceptionis, & præservationis vidit, & gavisus est. Audi Angelum in Revelatione S. Brigittæ c. 8. Sermonis Angelici. Bene credibile fore dignoscitur, etiam Abraham divinius fuisse præstentum, quòd una filiarum suæ stirpis Immaculata Virgo, Dei Filium parviret. Creditur quoque Abraham de hac futura Filia magis, quam de Isaac Filio suo exultasse, atque majori charitate ipsam, quam Isaac filium suum dilexisset. Deinde ejusdem Dei Matris veluti hæreditariam spem reliquisset Abrahamum Isaac, hunc Jacobo, Jacobum Judæ, atque in hunc modum alios aliis Patriarchis, cum addidisset Angelos, tandem concludit: Unde verè probatur, Deum Matrem suam ita dilexisse; quòd sicut ipse, antequam aliquid crearetur, ex ea maxime gratulatus est; ita etiam amicis suis, ex hoc quòd ipsa nasceretur, magnam consolationem impendit, &c. Hæc ex Brigittæ Revelatione.

412 Claudam, si S. Hieronymi eximiam sententiam, ex Commentario in cap. 10. Ecclesiastes, recitavero, qua non solum Abraham, sed Isaac etiam, & Jacob, Mariæ proneptores sanctissimos agnoscit, atque à peccati servitute liberos, ut liberior ex ipsis sancta generaretur, & conciperetur Deipara. Christus Filius ingenuorum de Abraham, Isaac, & Jacob, Prophetarum quoque & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi: ex quibus nata est Virgo liberior S. Maria. Porro, quòd Hieronymus Abrahamo Isaacum adjunxit, & Jacobum, Mariæ etiam proavos, jure fecit. Nam & hos quoque Mariam proneptim prænovisse, at que alterum alteri ejus generationem, & conceptionem tradidisse, locupletissimos testes habemus, S. Dionysium Alexan. in Epist. contra Paul. Samosatensem, ubi benedictionem Isaac explicat ex versione LXX. Interpretum Genes. 27. 27. Det 27.

Maria ex sanctorum stirpe descendens sanctior ipsi.

S. Hieron.

Genes. 27. Det 27.

Deipara terra habens omnia promissa.

Det tibi Deus benedictionem cali desuper, & terra habentis omnia. Nam terram habentem virginalem Mariae Paradisum exponit, cujus veluti ditissima hereditatis successorem, ac possessorem reliquisse voluit Jacobum filium. Addit is hereditatem, acquisivitque possessionem, uti alter asseverat testis Joannes Damascenus in Orat. 1. de Nativ. B. Mariae, ubi scalam illam caelestem, Genes. 28. 12. descriptam, interpretatur Mariam, cujus Conceptionem, ex sterili Anna Matre, sed divina virtute perfectam, in ejusdem scale mirabili formatione praeviderit Jacob. Forte illud Excelsi brachium, obtusum natura ligonem Spiritu sancto tanquam digito suo exacuens, vivam scalam sibi ipsi condidit, cujus locum Jacob conspexit, per quam Deus sine ulla migratione descendens, vel, ut rectius loquar, indulgens se demittens, in terra visus est, & cum hominibus conversatus est. Spiritu- alis scala, hoc est, Virgo, in terra firmata est; ex terra enim ortum habet; caput autem ipsius ad caelum pertinet. Omnis quippe mulierum caput Pater existit, ut qui Filium suum, ac prepotens Verbum, tanquam divinum, ac spirituale semen emisit.

Scala est à Jacobo praevisa.

S. Damas.

SUBSECTIO.

An Abrahamus decimas primus Deo persolvens praeviderit neptim suam Mariam à peccato originali immunem.

413 Primus omnium, qui decimas religiosè Deo persolvit, magnus ille fuit Fidelium parens Abraham; ut claret ex Genes. 14. 20. & ex Paulo ad Hebræos 7. 5. ubi sancti Patriarchae consilium ad illam refert fidem, qua credit in Melchisedec Sacerdote (cui decimas persolvit, & à quo benedicebatur) Christum Pontificem adumbratum fuisse, à quo perfectam ipse cum universa posteritate benedictionem esset redemptionis habiturus. Inde Decimarum origo tum in Israelitica, tum in Christiana Ecclesia: de quibus Levit. 27. 30. Numer. 18. 21. & 26. & Jura Pontificia, quae pleraque extant de Decimis. Illud in primis pro nostri instituti elucidatione disquiri: Ecquaenam interior ratio legislatori fuerit, ut decimas exegerit, & Abrahamo, ut ultrò persolverit?

Quod spectat decimarum solutio.

Hugo Victor.

414 Rationem haud obscure à S. Augustino traditam lib. 10. de Genes. ad litter. c. 20. apertius explicat Hugo Victorinus in Eruditione Theologica lib. de Sacramentis parte II. c. 4. Probabile est omnino, hominem ad hanc exercenda à principio à Deo instructum, & eruditum fuisse, ut primi contemptus culpam, subsequenti devotionis studio aboleret; & qui in semetipso conuivax extiterat, in suis postmodum obtemperare consuesceret. Eandem rationem reddit S. Thomas 3. p. q. 31. a. 8. sed verò, illud etiam curiosus poscat, ut decimationis analogiam cum peccati originalis munditia disquiramus. Haud latuit quidem S. Thomam, loco memorato. Quia enim ille, qui decimas dat, novem sibi retinet, & decimam alii tribuit, quod est perfectionis signum (in quantum est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt usque ad decem) inde est, quod ille, qui decimas dat, protestatur, se imperfectum, & perfectionem alii tribuere. Imperfectum autem humani ge-

S. Thom.

Decimatio- nis analogia cum peccati originali- tate.

neris est propter peccatum, quod indiget perfe- ctione ejus, qui à peccato curat. Nec minus luculenter ante Thomam, id docuerat Hugo citatus, c. 6. Et similia habet Philo Alexand. lib. de Congressu quaerenda: eruditionis gra- tià. Itaque dum homo Deo decimam proven- tum partem offert, novem sibi retentis dum- taxat partibus, & perfectionem Deo desert auctori, & seipsum imperfectum fatetur, ut- pote in originali peccato conceptum.

415 Quid verò subinde, ex Decimarum ritu, quas Abrahamus Deo persolvit; quid pro Deiparae immunitate? Certè, partem decimam omnium fructuum, quae ex terra proveniunt, Marianae immunitatis umbram fuisse, gravissimi, atque doctissimi Patres interpreta- ti sunt, quorum sententiam brevi hoc Theo- remate complectimur. Novem fructuum par- tes humanae naturae imperfectionem, hoc est, originarium peccatum significare, ostendimus cum summis Theologis; decima verò pars, ejusdem generis humani perfectionem, atque eximiam ab originali delicto immunitatem ad- umbrat: quod demonstrandum aggredimur. Reolenda lex est Num. 18. 26. qua duplex distinguitur decima, altera communis Levi- tis, & Sacerdotibus à populo oblata; altera Sacerdotibus, vel summo Pontifici singularis, quam illi Levitae, ex decimis sibi jam oblati, deferebant, eamque lex primitiarum nomine compellat, ut à priori decima distinguat; qua- si dicat, decimam primitivam, quae revera cen- tesima erat fructuum popularium pars: deci- mas decimae Pontificis fuisse docet S. Tho- mas 2. 2. q. 87. a. 4. Sacerdotum asserit S. Hieronymus Ezech. 45. & alii, quod in sym- boli significatione nullius est discriminis, ac proinde quaestione non dirimo.

416 Hoc posito, exploranda diligenter est periodus illa S. Germani Patriarchae Constant. in Theoria rerum Ecclesiasticarum, ubi Panis offerendi, antequam in Eucharistiam conse- cretur, Graecis ritus exponit; Oblatio, in- quit, quae & panis, & benedictio, & primi- tiae dicuntur: ex qua Dominicum Corpus disse- catur, ad typum semper Virginis, & Deipa- ra sumitur, quae, secundum beneplacitum Pa- tris, & voluntatem Filii sui, & Verbi, & ad- ventum divini Spiritus, unum S. Trinitatis, Filium Dei, & Verbum accipiens in se, per- fectum Deum, & perfectum Hominem peperit. Ut autem rursus supersubstantialis Deus, car- ne ex ea assumpta in una hypostasi, perfectus erat Deus, & homo, similis nobis absque peccato; ita & Dominicum corpus, tanquam ex quodam utero, & carne corporis Virginalis, toto pane, inquam, benedictionis & oblationis à Diacono, ut magna Ecclesia à majoribus accepit, disseca- tur, & ita peculiari quadam hypostasi ex medio ejus auferitur. Ipse verò, qui divinum corpus dividit, Diaconus à benedictione Angelum imi- tatur, qui Virgini, Ave, annunciavit. Haec Ger- manus, quae paulò diligentius inspicienda sunt.

Pars decima omnium fructuum umbra esti- ti Mariae- na immuni- tatis.

Gracivus panis offerendi autem quam in Eucharistia consecratur.

S. Germi.

Explicatur & illustratur Germa- nus.

Panis ille erat Deipa- ra typus.

417 Graecae Ecclesiae ritum supponit, quae integrum panem in Altari offert, ex quo exi- guam partem conservandam Diaconus dividit. Illum igitur panem typum esse B. Virginis do- cet Germanus; partem verò panis in corpus Christi convertendam desumi; sicut ex B. Vir- gine pars illa sacratissima desumpta est, quae per Incarnationem divino Verbo conjuncta est. Por- rò totum quidem Virgineum panem, particulam- que inde dejectam decimis illis, & decimae decimis,

Sanctitatis carnis Ma- riana san- ctitas anima respondet.

cimis, quae Num. 18. 26. commemorantur, fuisse adumbratam, haud obscure docet Ger- manus, tum usurpata Masslica voce, qua decima illi primitiae dicuntur; tum expensa rei similitudine, qua panis decimae, particula ve- rò ex pane decisa respondet decimae primiti-

S. German. vx. Oblatio, quae & panis, & primitiae dicuntur, ex qua Dominicum Corpus dissecatur, ad typum semper Virginis, & Deiparae sumitur, quae Filium Dei peperit. Unde addit, inter eam panis disseccationem, salutationem Angelicam decantari à Diacono fuisse solitam, ut interim Eucharisticum mysterium Incarnationis Verbi ex Virgine simile esse significaret. Ecquod ergo hac sua Theoria Germanus nobis argumentum pro Deiparae immunitate sup- peditat? Hoc nimirum: Deiparam Mariam decimam esse humanae naturae partem divino juri addictam, nulli unquam humano, nedum prophano usui adjudicatam. Cum autem praestantissimi Theologi relati doceant, Decimam significare partem illam perfectam, qua prima inobedientiae, primi, inquam, originalis peccati imperfectionem exclusam profitentur, consequens erit, ut B. Virgo ab illa prima in- obedientiae imperfectione aliena fuisse doceatur; quae per decimam ipsam, perfectionis, & obedientiae symbolum, exprimitur. Dum igitur Sanctissima Graecorum Patrum Ecclesia ab he- roicis majorum saeculis panem Deo offert, ve- luti Virginis typum, ipsumque primitias deci- males appellat, dumque his accinit Angelicam Salutationem Ave gratia plena, Deiparam qui- dem per divinam gratiam usque ad eò perfectam demonstrat, ut à novem humanae natu- rae imperfectissimae partibus, una fuerit exemp- ta, à prima peccati imperfectione immunis.

Quid inde pro Deiparae immunitate.

Blesens.

Caro Virgi- ginis exemp- ta & sancti- ficata, caro & sancti- ficata, caro diversitas significata est in duabus decimis ve- teris Testamenti; Filii siquidem Israel dabant Decimas omnium bonorum suorum Levitis; Le- vitina verò de melioribus dabant Decimas sum- mo Sacerdoti. De massa itaque carnis huma- nae, quasi de quadam universitate frugum, in modum Decimae primitivae, Mariae caro exemp- ta, & sanctificata est, & de illa sanctissima carne adhuc dignior quadam, & sanctior Por- tiuncula electa est, quam sibi uniendo assume- ret Verbum Dei. Sic Petrus eximius doctrina, & sanctitate Vir ante 400. annos scribe- bat; qui dum de sanctitate Carnis Christi, & Virginis agit, eo sensu sanctitatem carni at- tribuit, quo antiquiores Patres, quatenus creandae animae sanctae divino munere prae- purgata destinatur, humanaeque generationis sordibus abluatur, ne sanctam animam crean- dam ulla possit ex parte foedare. Cum au- tem inter Christi, & Mariae carnis sancti- tates discrimen assignat, meditatio loquitur; carnem enim B. Virginis exemptam, & sanctificatam dicit Blesensis, carnem ve- rò Christi sanctam, & sanctificantem. Qua quidem sua distinctione duo praestat: Primum animam Virginis sanctam agnoscit à prima creatione, cum carnem, per quam anima cul- pam potuisset contrahere, exemptam asserit. Secundò sanctitatem animae Christi merito prae- fert sanctitati animae Virginis, dum Mariae car- nem exemptam, & sanctificatam; Christi ve-

ro carnem sanctificantem, & eximentem affir- mat. Nimirum sanctitati carnis certò respon- det sanctitas animae creandae, ac proinde car- ni ex generationis sordibus sanctificatae, & exemptae anima à peccato exempta; carni ve- rò sanctae, sanctificantis, & eximenti anima respondet sancta, sanctificans, & eximens. Il- la Mariae, haec Christi. Id quod ex collatio- ne Decimarum Petrus explicat: erat enim du- plex Decima, altera Sacerdotalis, altera Pon- tificia; atque haec quidem longè illà sanctior: nam sacerdotalis Decima, utpote perfectio- nem symbolicè importans, decuplam exprimit Marianae carnis, & animae sanctitatem; Deci- ma verò Pontificia, utpote ex prima Decima desumpta, eamque rursus decimans, longè uberiorem pre se fert sanctitatis perfectionem: quae manifestior fiet, si utramque Decimam cum toto populari proventu conferas; cujus prima oblatio sacerdotalis erat pars Decima; secunda verò Pontificia centesima. Quò igitur plenior atque perfectior est numero deci- mo numerus centesimus, eò Christi sanctitas per secundam decimam significata, uberior est sanctitate Mariana per primam decimam ex- pressa, quae à Christo decimatur, perficitur, & sanctificatur.

419 Ex haecenus ergo dictis deducitur; ab Abrahamo Decimas Deo persolvente praeco- gnitam neptim suam Mariam à peccato im- munem originali: cum pars decima fructuum ex terra provenientium fuerit Marianae immu- nitatis umbra, juxta praedictorum Patrum men- tem.

420 At dices: Paulus ad Hebræos cap. 7. v. 4. & sequentibus scribit, Abrahamum De- cimas Melchisedech solvisse, non solum pro seipso, sed pro universis etiam nepotibus, quos ipse, utpote proavus, quodam modo re- praesentabat. Quamvis enim Apostolus solum exprimat Leviticam, & Sacerdotalem Tribum, pro qua decimas solvisse Abrahamum docet, qui Levitae in ejus lumbis continebantur; haec tamen ratio universos Abrahami nepotes æ- què complectitur; quos eadem generatrice virtute, ac potestate, quae Levitas suis lum- bis continebat, uti omnes Pauli Interpretes disputant. Itaque non pro Levitis tantum, sed pro reliquis omnibus Tribubus decimas per- solvit Abrahamus. Si ergo Apostolus pro om- nibus nepotibus in suis lumbis juxta vim na- turalem generatricem contentis, decimas per- solvit: si haec item decimarum persolutio sig- nificabat tum omnes illos peccato originali in- fectos iri, tum Christi summi Sacerdotis, secun- dum ordinem Melchisedech, meritis ab eo- dem peccato fuisse liberandos; consequens est, eundem Abrahamum etiam pro B. Virgine, quam uti proneptim in suis quoque lumbis contentam prosperebat, Decimas solvisse, ac proinde à peccato originali ipsam per Chri- stum fuisse solvendam praecognovisse. Et qui- dem hoc consequens, ejusque illationem per- picuè concedere videtur S. Augustinus lib. 10. de Genes. ad litter. c. 20. dum enim explicat praedictum Apostoli locum, ubi asse- rit Levi decimatum esse ab Abrahamo, quia in lumbis ejus continebatur, aperte docet, non Levi solum, sed omnes alios Patriarchae ne- potes, ac signanter B. Virginem, secundum femi- nalem rationem eidem lumbis fuisse contentam, ac proinde decimas pro ipsa quoque solutas.

Obje- ctio.

P. Ildeph. de Flores in Eccles.